

DE  
PRIVILEGIIS FEVDO  
ADHAERENTIBVS AD SVBFEVDVM  
TACITE NON EXTENDENDIS,  
IN SPECIE  
CIRCA SVBFEVDA LVSATICA

---

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
PERMISSV  
PRO SVMMIS  
IN VTROQVE IVRE HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS  
PRAESIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

PAND. P. P. ECCLES. CATHEDR. NVMB. CANON.  
CVRIAE IN PROVINCIA SVPREMAE, IVDICII LVSATIAE  
INFERIORIS, NEC NON FACVLTATIS IVRIDICAE



ADSESSORE  
DIE XXIII. IVLII MDCCLXVII.

H. L. Q. C.

DISPVTABIT

AVTOR

IOANNES WOLFFIVS ZOLLMANNVS

VINARIA-THVRINGVS.

---

---

LIPSIAE

EX OFFICINĀ LANGENHEMIA.

*A. Sax. Prov. B. 143 a. (Farr.):*

*M.*

st. Saxon.

F.

68,28

*H. D. Tillon*




*[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]*





DE  
P R I V I L E G I I S F E V D O  
A D H A E R E N T I B V S  
A D  
S V B F E V D V M T A C I T E N O N E X T E N D E N D I S  
I N S P E C I E  
C I R C A S V B F E V D A L V S A T I C A .



§. I.



**R**es non solum in dominio pleno existentes, *Subfeudum eiusque diuersa constitutio.*  
sed et in minus pleno constitutas nexuque  
feudali iam subiectas infeudari posse, ac  
inde Feudum in specie, et subfeudum ena-  
sci, ex Feudalis scientiae principiis abunde  
notorieque constat.

Feudorum materiam, tanquam nullius ad intentio-  
nem nostram utilitatis, aliis tractandam relinquimus. De  
subfeudo vero, eiusque diuerso constituendi modo, quae-  
dam praemittenda instituti ratio deposcit.





Plus quatuor modis minusue existentiam nancisci Subfeudum ignorat. Aut enim vasallus, vel a) in re sibi infeudata, alteri vsuarium cedit dominium ea proprietatis particula sibi reseruata, quae Domini Directi naturam induit, Subdominiumque communiter audit, vel b) Dominium ad se ex Feudo spectans vtile, consentiente Domino Superiore ea lege in tertium transfert, vt hic, subdominio detracto ac sibi retento, idem sub fidelitate subvasallitica isti restituat; aut Dominus directus vel c) iura ex feudo ad se spectantia in alterum transmittit, eadem ab hoc ceu domino superiore recuperaturus, vel denique d) id ipsum dominium directum sub nexu clientelari alteri tradit. Primum constituendi modum DD. vulgo subinfeudationem vocare consueuerunt; reliqui autem omnes sub immutatione feudi in Subfeudum comprehenduntur.

§. 11.

*Quaenam  
species ad nos  
pertinent.*

Quocunque autem ex recensitis modo, subfeudum constitutum sit, vnā tamen eandemque tantum normam agnoscit, quoties de priuilegiis, feudo immediato post Subfeudi exinde constitutionem concessis, horumque in subfeudo vsu disceptatur; prout vero, vel per Domini, vel vasalli factum subfeudum constituitur, pro his diuersis personis dispar etiam sententia amplectenda est, si quaestio mouetur de vtilitate eorum priuilegiorum in subfeudo, quae tempore subinfeudationis iam ad feudum pertinuerunt. In negatiuam enim secedendum esse, si a Vasallo per Subinfeudationem aequae ac per oblationem subfeudum effectum est, in sequentibus probandum venit; contra affirmatiue pronuntiandum erit, si dominium directum infeudando vel offerendo, Dominus praedium immediatum in subfeudum immutauit. Hic enim iura vasallo quaesita imminuere eiusque conditionem deteriore reddere, eo inuito nullo modo potest, quod perspicue euincit Schilterus ad

ad





ad C. 89. Iur. Feud. Alemann. et Griebner de subfeudorum Imp. praerogat. §. 4. Exinde vero omni plane dubio exceptum est, etiam priuilegia, quae ante talem immutationem, ad uasallum ex Feudo spectarunt, huic per eiusmodi factum eripi non posse. Simul autem ex ipsa re patet, has posteriores subfeudi species in materia proposita nostram disquisitionem non ingredi. Ad priores potius tantum species intentio nostra directa est, in subinfeudationem oblationemque a uasallo factam inquisituri; reseruata oblatione infra breuiter tangenda, istam nunc aggredimur, ea primo proposituri, quae circa priuilegia, feudo subinfeudante ante subinfeudationem annexa, secundum Iuris communis principia in subfeudo obtineant.

§. III.

Subinfeudatio ut omnes feudi species, alienationibus quidem recte annumeratur, sed tanta tamen inter istam ac reliquas alienationes differentia intercedit, ut ab harum natura in totum fere aberret, nec omnia, quae ius de his statuit, ad istam applicari possint. Diuersitatis huius ratio in eo potissimum latet, quod in reliquis alienationibus omne rei dominium, omniaque iura quae alienanti in re competierunt, in nouum possessorem transeant, in subinfeudatione contra dominium reddatur diuisum, eius praecipua parte, dominio scilicet directo, penes alienantem remanente, altera uero parte, dominio nempe utile in nouum rei detentorem transeunte. Nulla igitur in subinfeudatione subuasallo adpropriantur iura, quam quae sub utilis dominii notione comprehenduntur, aut quae expresse praeter eius naturam concessa sunt, reliquis omnibus penes uasallum immediatum subsistentibus. Vbi quidem omne rei dominium, omniaque iura in nouum dominum transeunt, ibi omnino etiam praesumptio locum sibi vindicat, omnia pacta conditionesue quae rei adhaeserunt, cum

*Subinfeud.  
differentia a  
caeteris alie-  
nationibus.*





illa transferri, sed vltioris probationis non indiget, eandem praesumptionem ex isto fundamento a domini diuisi natura prorsus alienam esse. Nec igitur exempla erunt admittenda, quae ab alienationibus, in quibus plenum transit dominium, pro adstruenda conditionum subfeudi cum feudo paritate ex *L. 14. §. 3. ff. Comm. Diuid. et l. 16. ff. Pro socio*, aliisque similibus depromunt. Iam enim monuimus, nullam a caeteris alienationibus ad subfeudum in tali casu valere consequentiam. Immo istae leges, si earum contenta propius inspiciamus, nostrae sententiae haudquaquam aduersantur. De eiusmodi enim tantum conditionibus loquuntur, quae alienanti certam obligationem intuitu tertii imposuerunt, easque tacite cum ipsa re transire et in alienatione immutari non posse, luculenter disponunt. Idem autem in subinfeudatione obtinere et vasallum ea tacite subfeudo annexisse censerit, quae ipsi certam obligationem intuitu Domini imposuerunt, ideoque remitti haud potuerunt, ex subsequens patebit.

### §. IIII.

*Plane nouus contractus in subinf. celebratur.*

Subinfeudatio, contractum Dominum inter superiorem, et immediatum Vasallum celebratum, nullatenus infringit. Omnes enim, quas hic vasallo iniunxit obligationes, eadem vi atque vigore post subinfeudationem pollent, in eodemque statu permanent, ac si feudi vtilitas adhuc penes immediatum subsisteret. Etiam fidelitas vasallitica in dominum superiorem proprie subvasallo subeunda non est, quippe quae vnice immediatum attingit; et nulla quoque conuentio inter feudi seniorem et subvasallum intercedit. Hic enim tantum cum vasallo immediato contrahit, et vasallus subinfeudans de suo, non de domini superioris in feudo iure disponit. Cuilibet vero integrum est, de re sua, si lex non obstat, nec laesio exinde in tertium redundat, pro lubitu contrahendi. Sed subinfeudationem leges vasallo indul-





indulgent, et modo haec rite peragatur, nullum exhinc praeiudicium Domino metuendum est. Nulla igitur aderit ratio, quae vafallum obstringat, vt contractum inter ipsum et dominum de feudo intercedentem, in iis, quae iuri quaesito domini non aduersantur, tanquam subinfeudationis normam agnoscere, et in eodem statu, quo ipsi intuitu conditionum fauorabilium feudum traditum est, subuafallo subfeudum tradere debeat. Conuentio enim inter quasdam personas inita, nunquam legem contractui inter alias personas celebrando, quatenus ius tertii non laeditur, partibus inuitis constituit. *sec. l. 27. ff. de Pactis*, et plane nouus contractus inter subdominum et subuafallum, saluo tamen domini superioris iure conficitur. Sed prono exinde profluit alueo, nullam quoque contractus inter superiorem et vafallum immediatum subsistentis renouationem in subinfeudatione cogitari posse. Eiusmodi tamen in sententiam secedit KOHLIVS, *in tract. de subfeudis C. II. n. 46.* *Subinfeudatio*, inquit, *in effectu nihil aliud est, quam subalterna feudi renouatio facta subuafallo*, et porro concludit, *renouati qualitas in renouante tacite repetita intelligitur, et vel hac de causa in subfeudo simpliciter concesso, conditio seu qualitas eadem tacite repetita censetur.* Sed renouatio semper anteriorem praesupponit obligationem, inter easdem personas aut eorum repraesentantes obtinentem; nihil tamen eiusmodi in Subinfeudatione deprehendimus. Nulla siquidem obligatio ante Subfeudi constitutionem inter contrahentes adfuit, et non eadem personae quae de feudo contractum celebrarunt, de Subfeudo paciscuntur. Feudum etiam non a Domino Superiore sed a vafallo subvafallus recipit, et cum hoc solum, non cum illo, ipsi nexus clientelaris intercedet, et inde subalterna feudi renouatio, si communem loquendi usum seruamus, subinfeudationem minime intrat.





intrat. De suo autem iure subinfeudans disponens, ex ficta illa renouatione, omnia ex feudo ipsi competentia iura in subuafallum tacite transferre argui nequit.

§. V.

*Latiore, non  
arctiore lege  
subiuferdare  
prohibitum.*

Vafallus de suo quidem iure libere in Subinfeudatione disponere potest, sed omne exhinc Domino metuendum praecudicium sedulo vitare tenetur; ita enim fidelitas vafallitica iubet! Nec igitur favorabiliores in subuafallum transmittere conditiones, quam ipse a superiori consequutus est, audebit. Idem expresse in LL. feudalibus II. F. 34. §. *Profecto*. sancitum reperimus. Verba huius textus ita disponunt: *Ne alia lege, nisi qua ipse habeat, vafallus subfeudum constituat.* E diametro quidem haecce lex nostrae sententiae contraria videtur. Verum enimvero si propius legem attentiusque inspicimus, clarissime statim innotescit, latius sese sensum eius quam ad iura domino in feudo competentia aut reseruata non diffundere, et latiore tantum concessionem, quam ipse vafallus consequutus est, respicere. Exempla enim ipsissimo textu annexa, \*) vt et I. F. 13. adducta, \*\*) aperte aliud non innuunt. Per hanc autem legem, facultatem vafalli, benigniores sibi a subuafallo reseruandi conditiones, restringi, a iuris sanæque rationis principiis prorsus alienum est, et celeberrimi rerum feudalium DD. eiusmodi opinionem prorsus reiiciunt, teste STRUVIO S. I. F. C. 12. Aph. II. n. 6. KOHL. de Subfeudis. C. 2. n. 47.

SCHILTER

\*) *Profecto* ille, qui suum beneficium dat in feudum, non debet alia lege dare, nisi qua ipse habeat. Vt si habet sibi suisque haeredibus, (quod intelligi debet de solis masculis) non debet alii dare, vt habeat sibi, suisque haeredibus masculis et foeminis.

\*\*) Si clientulus fecerit licellum in perpetuum de feudo suo alicui ecclesiae, non valet, ideo, quia nunquam reuersurum sit ad Dominum,





SCHILTER *de Subinf. §. 96. aliisque. Cap. vero Extraord. II. F. 108.* expresso assensu nostram intentionem subleuat. Nec est, quod nobis obiiciatur, parum Capituli Extraordinarii auctoritatem proficere, ubi expressa Ordinarii verba contrarium loquantur. Lubentes enim concedimus Capitulum ordinarium Extraordinario derogare, sed nonne dum praesupponendum erit, sensum Extraord. ab ordinario reuera alienum esse, vel huius dispositioni contradicere? Sed neutrum in proposito casu deprehendimus. Exempla siquidem textu ordin. adiuncta latiore tantum concernunt concessionem, et Extraordinarium non contradicit sed explicat atque interpretatur eius sensum. Vasalli vero arbitrio plane relictum est, an aliquid de suo iure in tertium transmittere an omne aut partem sibi retinere velit! Immo ipsius Domini conditio, per arctiorem subinfeudationis legem efficitur quodammodo melior; per eam enim, reuerso feudo immediato ad Dominum, plura forsan subuasallo in illum obseruanda veniunt, aut subfeudum citius finitur. Pessime igitur sibi dominus consuleret, si vasallum benigniora pacta stipulantem, hac facultate priuaret.

#### §. VI.

Sed praesumptio quaedam intuitu modo explanatae legis in subinfeudantis fauorem emergit. Ea siquidem subfeudo tacite annexisse consetur, quae remissa vel non translata, maiora subuasallo tribuerent iura, quam ipse vasallus immediatus consequutus est, ideoque contra legis dispositionem impingerent! Talis enim legis contemptus inter delicta feudalia refertur, poenamque Feloniae, amissionem scilicet feudi, certissimum habet comitem, vt ex eodem textu *II. F. 34. §. 3.* indubitate constat. Delicta vero non praesumuntur, et ista benignior sententia, qua delictum excluditur poenaeque euitatur, *sec. L. 51. ff. Pro Soc.*

*Praesumitur vasallum LL. conuenienter subinfeudasse.*

B

*praeualet.*





*praeualet.* Hanc iuris regulam sequentes, ad illud feudale delictum excludendum praesumimus: Vasallum in Subinfeudatione, modo non manifeste contrarium appareat, legibus conuenienter egisse et latiora quam debuit iura subuafallo non tribuisse. Sed haec praesumptio plane aliis innititur fundamentis quam illa, quam pro fauorabilibus aque ac odiosis feudi conditionibus in subfeudum tacite translatis ex laudata lege elicere student, et Rationes, quibus illa subleuatur, ad hanc applicari nesciunt.

### §. VII.

*Nemo suum  
iactare praesumitur.*

Contraheentis quoque causam semper praesumptio propugnat, quod sibi minus nocere, nec suum iactare velit. argum. l. 18. ff. de Aedit. Ed. et l. 6. §. 4. ff. de Pecul. leg. Vix autem probabilis in medium produci poterit ratio, quae contrarium in Subinfeudatione statuendum esse, probare queat. Attamen omnino arbitramur, vasallum suum iactare velle, si eum, commoda beneficiaque, quae salua subinfeudationis natura conseruare ac sibi retinere potest, tacite in subuafallum transferre arguimus; Quid! quod si priuilegia, feudo immediato adhaerentia in praeiudicium Domini directi vergunt, singularis sane in subinfeudante sibi nocendi pruritus praesupponendus erit, si eadem tacite subfeudo communicasse censetur. Ex re enim ipsa patet, per talem extensionem eiusmodi priuilegia ipsi maxime nociua existere, quum intuitu Subfeudi omnia Domini directi iura ipsi competant.

### §. VIII.

*Vasallus non  
omnia iura in  
subuaf. trans-  
mittere potest.*

Accedit insuper, quod ne volens quidem subinfeudans, omnia ex feudo ad ipsum spectantia iura subuafallo conferre possit. Sic vasallus immediatus inter pares eiusdem curtis connumeratur \*) ac testis in inuestitura conuafalli

\*) Ad iudicium Parium, non nisi pares eiusdem curtis conuocantur et Conuafalli immediati vasalli litigaturi teste SCRADERO.  
P. 10.





uasalli adhibetur. \*\*) Aliisque iuribus iisdem Paribus communiter concessis fruitur. \*\*\*) Inter Ordines Prouinciales refertur, subuasallo ad hanc praerogatiuam ne aspirante quidem. \*\*\*\*) Eiusmodi vero iura Subfeudo communicari nullo modo possunt. Omnes autem feudi conditiones, si tacite in subinfeudatione venirent, satis certe fundatam haberent subuasalli intentionem, si haec quoque sibi adiudicari, omnique ex feudo iure immediatum priuari efflagitent.

### §. VIII.

In omni contractu, nisi aliud expresse conuentum, dispositiones iuris communis eius Prouinciae in qua contrahitur, interuenisse praesumuntur *sec. l. 34. ff. de R. I.* et censentur contrahentes sese iis conformasse, quae ius de eo contractu statuit. *sec. l. 38. ff. de Acquir. Hered. et l. 4. C. de Test. Mil.* Idem autem in Subinfeudatione valere, dubium non occurrit. Contractus enim inter Superiorem et immediatum vasallum initus, conuentionem subfeudalem, quatenus iura Domini quaesita non laeduntur, non ingreditur, (§. IV.) iura tamen quae sibi dominus

*Subfeudum  
sec. ius com-  
mune con-  
cessum prae-  
sumitur.*

B 2

superior

*P. 10. S. 7. n. 7.* Idem insigniter circa Lusatiae Superioris subfeuda exemplis illustrari potest. Ad iudicia enim parium, in hac Prouincia Ao. 1611. et 1663. conscripta, solos immediatos exclusis subuasallis, adhibitos fuisse, ex Actis constat.

\*\*) Ab hoc etiam actu subuasalli Lufatici arcentur. Cuius rei notabile exemplum exstitit in terminis: Quidam quippe D. S. subuasallus Nobilis a K. testes in inuestitura immediati arcessitus, in Curia Prouinciali recusatus est, aliusque Immediatus in eius locum surrogatus.

\*\*\*) Totum eiusmodi iurium agmen vide infra §. ultimo.

\*\*\*\*) Nunquam Lusatiae Subuasallus, Ordinibus Prouincialibus eorumque consultationibus, intuitu Subfeudi sese immiscuit.





superior in feudo, praeter eius naturam reseruauit, subfeudo tacite annexa censentur. (§. VI.) Ergo in Subinfeudatione nihil tacite venire potest, nisi quae ius commune vel Prouinciale de Feudo aut Subfeudo statuit et iura Domini reseruata. Alia omnia in contractu haud expressa praesumi nequeunt.

### §. X.

*Priuilegia tacite translata senseri nequeunt,*


Si Iuris communis tantum dispositiones et iura domini reseruata in subinfeudatione praesumuntur, in hac certe locus iis non erit, quae exceptionem a iure communi inuoluunt et iuribus Domini non aduersantur. At enim uero inter priuilegiorum essentialia refertur, ut praeter ius commune aliquid impetranti attribuant, eundemque a iuris communis statutis excipiant, et eiusmodi priuilegia, tanquam in uasalli fauorem lata, ad iura domini reseruata sane referri ignorant, e contrario uasallo iura adiudicant, et praeter feudi naturam aliquid tribuunt. Ergo priuilegia feudo adhaerentia tacite in subfeudum transiisse, praesumi nequit.

*quod de omnibus priuilegiis ualet.*

Generaliter haec regula pronuntiat de iis priuilegiis, quae subdomino, si ad usum subuafalli veniunt, praedictum et incommoda minitantur, et eodem modo de iis, ex quibus nullum vel exiguum detrimentum, si subuafallus eorum potitur, subinfeudanti metuendum est. Quamuis enim aequitatis ratio in hoc posteriori casu, partes subuafallorum suscipere videatur, ut his ea adiudicentur, quae ipsis prosunt, et subdomino non nocent, tamen ipso iure istis non potiuntur. Maxima enim differentia est, an propter exigua exinde prouenientia incommoda, subdomino ad ea communicanda forsan faciliores inueniantur, aut an subuafalli ipso iure iis inhiare possint. Sed ipso iure, ut ex antecedentibus constat, priuilegia non consequuntur,

tur,





tur, quae exinde in subfeudo etiam praesumi nequeunt. Ex benevolentia autem subdominorum, eorum participes fieri omnino possunt.

Ex haecenus deductis propositisque sufficienter constare autumo: Priuilegia seu conditiones fauorabiles feudo praeter eius naturam inhaerentes in subinfeudatione tacite translata censerri non posse, sed potius praesumendum esse, subdominum sibi eas reseruasse.

### §. XI.

His de priuilegiis, tempore subinfeudationis feudo adhaerentibus tacite ad subfeudum non extendendis, absolutis; materiarum ferie suadente, iam ad probandam eandem sententiam de priuilegiis, post constitutionem subfeudi, feudo concessis, accedimus.

*Priuil. post  
Subinfeud.  
feudo concessa,  
subfeudum non attingunt.*

Si ne ea quidem priuilegia, quae tempore subinfeudationis ad feudum pertinuerunt, tacite subfeudo obueniunt, omnis sane spes deponenda est, vnquam ex iis quaedam emolumenta in id tacite redundatura esse, quae feudo immediato solum, subfeudo iam constituto, tributa sunt. Rationes etenim prorsus deficiunt, quae speciem quandam suppeditare possent, cur iura exinde prouenientia inter vasallum immediatum et mediatum communia esse debeant. Praesumptio enim pro subfeudi in dubio paritate conditionum cum feudo in fauorabilibus admitti nequit (§. antec.) et priuilegia tanquam exceptionem inuoluentia, iis tantum profunt qui a regula excipiuntur, et si sustinentur, ea ad tertium, cui non manifeste concessa sunt, spectare, strictissimae sunt interpretationis, teste BERGERO *Oecon. luc. Lib. I. Tit. 1. §. 12.* Quid! quod contra ius tertio quaesitum tributa, omni valore destituuntur. Sed haec omnia latius explicanda indagandaque, infra in priuilegia Lusatica inquisituri, seponimus.





## §. XII.

*Offerens, in  
subfeudo, pri-  
uilegia non  
retinet.*

Vasallus, consentiente domino directo, feudum in subfeudum offerens, aegre priuilegia retinebit, quae ante oblationem, in feudo ipsi competierunt, nisi de eorum expressa reservatione sibi prospexerit. Licet enim nihil iustius nihil aequius videatur, quam ut quis ea iura commodaque quae semel iusto titulo acquisiuit, semper retineat, et pro tali subuasallo etiam praesumendum videatur, quod suum iactare noluerit, haecce omnia tamen in casu proposito ad priuilegiorum conseruationem non sufficiunt. Nam offerens in fauorem eius, cui oblatio fit, omni sese in feudo iure abdicat et ab illo, subfeudi tantum exinde constitutionem efflagitat. Feudum vero oblatum naturam in dubio feudi propriam induit, et nihil concessum praesumitur, quod non ex ista deduci potest, ideoque nec priuilegia tanquam exceptiones, in subfeudo tacite retributa censeri possunt, nisi litterae inuestiturae eorum mentionem expresse faciant. De praesumptione autem inter omnes constat, quod veritati cedat, et inde causam offerentis non propugnat, quum hic reuera omne suum ius in subdominum transferat, et subfeudi tantum constitutionem ex re oblata ab illo stipuletur. Quod autem iuris reliquum est, subdominus acquirit, illoque utitur, et subuasallus de iniuria conqueri non potest, quum sibi imputare debeat, quod de conseruandis priuilegiis haud sollicitus fuerit; hac enim negligentia istis renunciaisse videtur.

## §. XIII.

*Reuersio feudi  
subuasallum non ad-  
iunat.*

Causae subuasallorum per deuolutionem feudi subinfeudantis ad Dominum, in melius non consulitur. Iura siquidem immediatorum, per reuersionem feudi, teste obseruantia, subuasalli non consequuntur, sed eundem potius statum retinent quem antea agnouerunt, et vel hac de causa nullum ius ad priuilegia immediatorum, quam-





quamuis persona intermedia sublata sit, assequuntur. Illustre huius rei exemplum nobis suppeditat Dynastia Hoyerswerda tam An. 1651. quam an. 1737. ad Serenissimum Saxoniae Electorem iure consolidationis reuersa. Eodem enim iure in hac subuafalli censentur, ac si circa Dynastiam nihil immutatum esset.

### §. XIII.

Iam ad alterum Dissertationis pattem progrediamur, ea exposituri, quae nobis argumenta ad explanandam quaestionem: An priuilegia, ex gratiosissima Serenissimorum Lusatiae Marchionum largitate Feudis huius Prouinciae indulta, ad subuafallos quoque ipso iure pertineant? praebent.

*De Priuilegiis  
Lusaticis et  
beneficiis per  
illa tributis.*

Qualia vero, et a quibus profecta sint amplissima haecce priuilegia, quorum fulgore tam insigniter Lusatiae Feuda coruscant, ante omnia praemittendum, officium ducimus:

Quatuor praecipue, si Superiorem Lusatiam respicimus, prae caeteris notanda occurrunt. Primum ex Ferdinandi I. gloriosissimae memoriae Imperatoris gratia an. 1544. huic Prouinciae tributum, uasallo masculo prole destituto, hoc enim gaudens, hacce potestate ipso iure utitur, liberam feudum alienandi facultatem permittit, modo sufficiens robur adhuc corpori insit, ut armis loricaque indutus, nullius ope interueniente, a terra equum masculum conscendere, huiusque vigoris exemplum, Summo Prouinciae Praeside, dem Landvoigt exhibere possit, cuius diploma Codicis Augustei P. 3. p. 348. insertum est.

Subsequens tempore priuilegium ex eiusdem munificentia an. 1562. emanatum, omnibus praediis huius Prouinciae nobilibus, indistincte Iurisdictionem Superiorem annectit, uti eius tenor in *Cod. Aug. P. 3. pag. 104.* exhibetur.

Ter-





Tertium ex clementissima Imperatoris Maximiliani II. indulgentia an. 1575. his terris concessum, Feudum tam nouum quam antiquum ad agnatos intra septimum computationis iuris Saxonici communis gradum inclusiue, decesso sine progenie feudorum capace, vasallo, ipso iure deuoluit, licet communem manum aut simultaneum inuestituram ex pacto vel inuestitura consequuti non sint, ac multa insuper alia in vasallorum fauorem disponit, cuius priuilegii instrumentum eidem *Parte 3. Cod. Aug. adiectum est. pag. 350.*

Haec omnia, si non exsuperat, exaequat tamen perfecte Ordinatio illa feudalis a Serenissimo Saxoniae Electore Ioanne Georgio I. ad easdem terras an. 1657. missa, in dicto *Cod. Aug. P. 3. pag. 352.* verbotenus relata. Non enim solum confirmationem modo expositorum sed latiorrem quoque extensionem et authenticam interpretationem in vasallorum fauorem continet.

Lusatiam inferiorem quod attinet, vnica tantum sed reliquas comprehendens concessio, ad nos hoc loco pertinet, a Ferdinando I. an. 1538. profecta. Confirmationem haec renouationemque omnium priuilegiorum quae antea ad Lufatos Inferiores peruenerant, continet, et inter reliqua, liberam feudorum alienationem et a communi feudorum ordine longe recedentem successionem in feudis determinat, confirmatque. Superuacaneum esset omnia exhinc prouenientia commoda recensere, publici enim iuris hocce priuilegium, in *3. P. Cod. Aug. factum est.* Potius res ipsa nunc vltiorem attentionem meretur.

#### §. XV.

*Ordinatio  
feudalis Luf.  
ad Subfeuda  
non spectat.*

Subuasallorum causae fauentes, nostram de his priuilegiis sententiam penitus subuertere existimant, concedentes quidem, subfeudum secundum Ius feudale Prouinciae commune omnino diiudicari, sed ex hoc ipso, Lusatica priui-





priuilegia subuafallis vindicantes. Hunc enim in modum concludunt: In Superiori Lusatia, Ordinationem feudalem Ioannis Georgii I, Ius feudale Prouinciae commune constituere, quod ipsa Rubri verba. *Lehns-Ordnung, wie es hinführo im Marggrafthum Oberlausitz, bey begehenden Lehns-Fällen gehalten werden soll* &c. innuant; Eandem etiam reuera ius Prouinciae commune inter omnes uafallos validum conficere, et vel hac de causa eam ad subuafallos aequae ac ad immediatos referendam esse. Praecipua autem Lusatiae priuilegia in illa contineri et inde omni dubio exceptum esse, quod priuilegia ista, subuafallis quoque prodesse debeant.

Omnino quidem haecce Ordinatio ius inter omnes Prouinciae immediatos commune efficit, priuilegiis enim conuenienter condita est, et haec generaliter de omnibus Prouinciae feudis disponunt, indeque necesse fuit, vt Ordinatio quoque generaliter, nulla scilicet exceptione inter immediatos occurrente, pronunciet. Sed authenticam praecipue priuilegiorum interpretationem extensionemque continet, et ideo ad eos solummodo pertinebit, qui commoda ex ipsis priuilegiis nacti sunt, haec vero solis immediatis secundum iuris communis principia vindicanda esse partim iam in antecedentibus demonstrauius, partim amplius deducendum et ipsis priuilegiis conuenienter explanandum reseruamus, ex hac vero causa, praesertim quum secundum priuilegiorum contenta tantum statuatur, subuafalli ex illa Ordinatione nihil iuris adipiscuntur. Accedit insuper, Lusatiae subfeuda tempore latae Ordinationis omnia iam constituta fuisse, et inde certe eam nullo modo subinfeudationis normam praebuisse. Euidenter autem adducta probant, Ordinationem Lusatiae feudalem, subuafallis priuilegia immediatorum non tribuere.





## §. XVI.


*Ob impuls.  
rationis pari-  
tatem non ex-  
tendentur  
privilegia.*

Priuilegia semper exceptionem a regula inuoluunt, et hac ex causa ad casus non expressos, vel ab eorum mente alienos trahenda non sunt, quippe qui, tanquam non excepti, secundum communem regulam diiudicandi sunt, licet eandem rationem, quae priuilegio ansam praebuit, etiam in illis deprehendamus; id enim, quod contra iuris rationem receptum est, ad consequentiam non perducitur, ita iubente *l. 14. ff. de LL.* et ex exceptionis etiam idea patescit, eam solum in iis valere, quae a communi norma eximit, alias non exceptionem sed ipsum ius commune pareret.

Facillime autem ex his principiis diruendum erit argumentum, quod in contrarium ex impulsua ratione, intuitu Priuilegii Maximiliani inter immediatos subuafallosque communi, depromunt. Quaerunt hanc rationis paritatem in huius priuilegii verbis: *Haben Wir angesehen, bemeldetes ihr unterthänigstes Bitten, auch betrachtet die vielfältigen getreuen Dienste, die Uns und Unsern Vorfahren, gedachte Herren, Ritterschaften und Mannschaften, sammt dererselben Vorfahren, unverschonet ihrer Leibe und Güther, ihren äussersten Vermögen nach, andern Landen gleich, unterthänigst gethan und erzeigt haben. Hinfürder auch, als sie von uns ihren unterthänigsten Ersuchen nach mit dieser Unserer Kayserl. Begnadigung etwa einander was gleich gemacht, Uns und unsern Nachkommen = = destomehr thun können, sollen und wollen.* Eandem autem causam eundem producere effectum contendunt; subuafallos eadem ac immediatos feruitia Serenissimis Lusatae Marchionibus cum vitae bonorumque periculo praestitisse, et ad Patriae Principumque defensionem pro viribus contribuisse; Relata vero verba de omnibus vafallis inter quos sine dubio subuafalli quoque

com-





comprehendantur, loqui. Exinde autem aequum videri, quum ad subuafallos priuilegii extensio, ab eius verbis non aliena sit, vt commoda propter seruitia indulta iis communicarentur. Parum tamen haec omnia proficiunt! Eadem enim causa eundem quidem producit effectum necessarium, sed non aequae accidentalem. Principum autem beneficia, nemo facile effectibus causae necessariis adnumerabit; siquidem beneficia ex iure perfecto descendunt, hocce nomen non merentur. Si vero Principis arbitrio plane relictum est, an eiusmodi effectum causae statuere velit, illi sane de iniuria queri non possunt, qui idem ex illa causa commodum non percipiunt, et proposita argumenta omnem ex ista causae impulsivae paritate spem subuertunt. Generalis insuper de vafallis dispositio nihil proficit; siquidem priuilegia ad tertium extendenda strictissimae sunt interpretationis *sec. C. 8. X. de Priuil. et l. 14. ff. de LL.* et haecce subuafallis ardentia verba per clariora, vt ex subsequen- tibus patebit obscurantur.

Eadem argumenta, nobis in refutanda alia ratione, contra nos in aciem deducta, egregie succurrunt. Adferunt quidem: subuafallos ad communia prouinciae onera idem ac immediatos conferre, et tritam esse regulam: Incommoda paria sentientem, paribus etiam commodis frui, *sec. l. 10. ff. de R. I.* Ex hac vero priuilegia Lusatica subuafallis adiudicanda venire. Verum enimvero iam probauimus, nullam rationis paritatem in materia priuilegiorum admittendam esse, et ex aliis quoque causis idem argumentum corrui. Non enim ad beneficia comparanda vel commoda assequenda, communia Prouinciae onera subeuntur, sed ad rempublicam defendendam subleuandamque suscipiuntur. Plane autem haecce obligatio nihil communionis cum priuilegiis habet. Haec etenim non intuitu onerum sed ex Principum beneuolentia largita sunt. Onera etiam





non omnes vafallos folum, aut fubuafallos, fed omnes ciues indiftincte respiciunt, hoc exprefle iubente *Decifione Ferdinandina* ad hanc Prouinciam an. 1344. miffa. Immo intuitu eorundem onerum haecce fingularis diuerfitas inter immediatos et fubuafallos occurrit, quod fubuafalli illa Domino fubinfeudante exfoluant, immediati contra eadem in publicum aerarium reponant. Executio quoque contra negligentes non fubuafallis, fed fubdominis irrogatur. Haud obfcure vero exinde conftat, non a fubuafallis in hac qualitate, fed ab eorum fubdominis intuitu praediorum feudalium contributiones exigi, falua tamen his, ratam fuam inter fubuafallos fubdiuidendi facultate, et fic proprie ne onerum quidem paritas inter immediatos et fubuafallos obtinet.

#### §. XVII.

*Priuilegia, iura tertii quaefita non auferunt.*

Eximias praerogatiuas, feudis Lufaticis ex priuilegiis obuinentes, ex maiori parte fiftit §. XIV. Iam primus earum afpectus fatis fuperque probat, illas omnes longiffime a propria feudorum natura recedere et in dominii directi praeciudicium plura exinde vafallis iura tribui. At vero in dubio fubfeuda fecundum ius commune conftituta cenfentur, et iura Domini directi omnia, fubdomino in feudo mediato competunt. Nec igitur admittenda erunt, quae haec fubdominorum iura fubuertunt, nifi expreflae litterae inueftiturae ea loquantur. Sed Lufatica priuilegia iuribus dominii directi prorfus aduerfantur, et hac ex caufa laefio iurium fubdomino quaefitorum, ex illorum extensione ad fubuafallos imminet. Ergo ad fubfeuda tacite trahenda non funt. Immo ne exprefle quidem fubuafallis tributa, fi fubdomini iura exinde laeduntur, eo inuito valent. Licet enim a Principum arbitrio et poteflate dependeat, cuicumque fua beneficia conferre, et quos eorundem





rundem participes reddere velint, hocce tamen iure in  
tertii iniuriam *sec. l. 4. ff. de Emancip.* non vtuntur, nec  
iura alterius quaesita hoc modo auferunt, *sec. l. 2. §. 10.*  
*et 16. ff. Ne quid in loc. publ. MEV. Decis. 184. n. 3. et P.*  
*7. D. 30. n. 2. nec non CARPZOV. Resp. Lib. 4. Tit. 10.*  
*n. 25.*

Haecce equidem argumenta optime sententiam cor-  
roborant, concessionem Ferdinandinam Lusatiae Inferio-  
ris, subuafallos minime adiuuare. Acerrimam quidem,  
huius Prouinciae subuafalli, litem de hac re nobis mouent.  
Omnino si verba priuilegii inspiciamus, res valde dubia  
videtur. In vim enim inueteratae consuetudinis proponi-  
tur: *Nachdem die Einwohner des Marggrasthums Nieder-*  
*Lausitz, mit ihren Güthern frey zu thun und zu lassen,*  
*dieselben zu verkaufen, zu verwechseln, zu verpfänden,*  
*zu vergeben und anzuwenden, zu ewigen Zeiten vollkomm-*  
*liche Gewalt haben &c.* ac noua confirmatione haecce iura  
adprobat. Haec dispositio vero de omnibus incolis dif-  
ferens, subuafallos etiam comprehendere videtur, et maxi-  
ma inde veritatis species enascitur, easdem facultates sub-  
uafallis quoque competere. Accedit, quod reliqua pri-  
uilegii capita adeo dubia sint. vt ad immediatos solos illas  
facultates pertinere, clare colligi non possit. Vtut autem  
haec omnia, subuafalli tamen plus iuris ex illa concessione  
non consequuntur, quam quod antea iam ad eos spectauit.  
Vt enim taceam, eam solum confirmationem inueterata-  
rum consuetudinum continere, et igitur ad eos solummodo  
pertinere, quibus eadem commoda iam ante istam reno-  
uationem obuenerant, et subuafallis probationem in-  
iungendam esse, eos ante confirmationem in possessione  
istorum iurium fuisse; iura sane subdominii, per eiusmodi  
subfeudorum attributa, insigne detrimentum sentiunt, ac  
vel hac de causa, nisi a subdominis indulta, subuafallis





obuenire non potuerunt; iura siquidem subdominis quaesita, iis inuitis, etiamsi aperte tale priuilegium ad subuassallos extensum esset, eripi nequeunt.

§. XVIII.

*Clausula Priuilegiis adiecta, iura subdominorum conseruat.*

Serenissimos autem priuilegiorum conditores de iure subdominorum auferendo plane non cogitasse, ex clausula hisce priuilegiis adiecta. *Ne cuiuscunque iuri quaesito officiant, \**) quae teste MEVIO P. I. Des. 6. n. 4. etiam tacite priuilegiis adiecta censetur, clarissime colligitur.

Non desunt quoque nobis voces in priuilegiis occurrentes, quae ut de subuassallis adhiberi nesciunt sic sententiam pro solis immediatis vindicando priuilegiorum usu magis magisque firmant. In Lusatae Superioris concessionibus vox: *Der Landstände et Ihre Güther = = die von Uns zu Lehn rühren* inueniuntur. \*\*) In confirmatione Maximiliani II. priuilegii Ferdinandini Lus. Infer. etiam

\*) Hanc clausulam expresse adiectam in Maximiliana et Ferdinandina concessionem ad Lus. Sup. inuenimus. Maximilianeae uerba sunt: *Doch Uns, Unsern Nachkommen, und der Kron Böhmen, an Regalien, Folgen, Diensten und Fälligkeiten, die sich außer dieser Begnadigung an Uns erledigen möchten, und sonst männiglich beweislichen Rechten, unschädlich und unvorgriffen.*

Ferdinandinae uerba: *Doch wollen Wir in alle Wege, daß diese Unsere besondere Gnade, Königliche Freyheit, Donation und Gabe, denen so in gesammten Lehn sitzen, oder die männliche Leibes = Lehnserben haben, auch Uns und der Cron Böhmen, an Lehen, Diensten, Pflichten, und männiglichen Rechten, unschädlich und unvorgriffen.*

\*\*) In priu. Max. Lus. Sup. Darum Wir sie denn insonderheit, auch wegen ihrer, der Landstände, und für diese Ihnen erzeigte Begnadigung hiergegen etc.

It. 6. Begnadigen auch in sine: *Auch Ihnen, den Landständen berührtes Marggrafthums, an ihren zuvor habenden gemeinen = und sonderbahren Priuilegien und Verträgen unschädlich.*





etiam denominatio der Stände reperitur. \*) Solos autem immediatos inter Ordines Prouinciales, subuafallis prorsus exclusis, referri et hoc nomine insigniri, omni dubio exceptum est. Vasalli etiam tantum immediati, feuda a Serenissimis Lusatiae Marchionibus tenent, eodem de subuafallis non nisi improprie valente.

Sed ab altera parte non minor verborum copia ex iisdem priuilegiis producitur, quae de subfeudis subuafallisque eodem modo ac de immediatis adhibentur. Huiusmodi sunt. **Unsere Unterthanen. Alle Lehngüter, Mannschaft etc.** \*\*) Non inepte vero inde concludunt, haecce verba nulli distinctioni locum relinquere, et in aprico esse, conditionem subuafallorum et immediatorum in hisce priuilegiis omnimode parem esse. Sed falluntur! Memorata clausula, iura subdominorum facta tecta-que conseruat, et parum vtilitatis dubiae expressiones promouent, vbi ne expressae quidem, in tertii scilicet iniuriam, valerent.

### §. XIX.

\*) Ferdin. Conc. confirmatione Max. II. Als haben Wir angesehen solche der Stände oberwähntes Marggrasthums Nieder-Lausitz zientliche Bitte, auch betrachtet. etc. *Ordinatio Feud. Ioannis Georgii I.* Nachdem die Kais. Königl. Majest. Maxim. II. Hochlöblicher Gedächtniß, den Land-Ständen des Marggrasthums Ober-Lausitz . . . gnädigst verwilligt.

\*\*) Priuil. Max. II. princ. Wir Max. II. etc. bekennen, daß für Uns mehrmahlen erschienen seyn, die Wohlgebohrne, Edle, Gestrenge und Ehrenveste, Unsere Unterthanen und Liebe Getreue Herren Ritterschaft und Mannschaft

It. §. Begnadigen auch. ibi. Daß im gedachten Marggrasthumb Ober-Lausitz, alle Lehngüter derienigen, so zur Zeit ihres Absterbens nicht ehelich gebohrne männliche Leibs-Lehns-Erben hinter sich verlaßen . . . auf alle und jede ihre nächste Schwerdtmagen bis in den 7ten Grad . . . kommen fallen und stammen sollen.

Priu. Ferdin. ad Luf. Inf. ibi. Die Einwohner des Marggrasthums Niederlausitz. it. Ein jedlicher Einwohner dem andern zc. it. Unsere Unterthanen unsers Marggrasthums Nieder-Lausitz.





## §. XIX.

*Interpretatio  
authentica  
non adiuvat  
subuafallos.*

Haecce tamen dubiae voces ad aliud adhuc remedium arripiendum occasionem suppeditant. Locum enim exinde interpretationi authenticae fieri, et hanc forsan subuafallis benigniora adiudicaturam existimant, Ad eandemque confugiendam in eiusmodi casu consuluerunt Vittebergenses ad Interrogationem S. G. von Loeben auf Ober-Sohland ao. 1711. verbis: Es ist aber bey Ihrer Kön. Magst. in Pohlen, und Churfürstl. Durchl. zu Sachsen, unsern allergnädigsten Herrn dieserwegen Interpretationem authenticam osterwähnter Priuilegiorum und der Lehns-Ordnung iuxta l. 43. ff. de Vulg. et Pupill. substitut. et l. 192. ff. de R. I. allerunterthänigst zu suchen unbenommen.

Omnino quidem facultas ad hanc authenticam interpretationem prouocandi indulgenda videtur, sed omni spe, fauorabilem exinde sententiam consequendi, subuafalli excidunt. Si enim Principes, secundum ea, quae in §. XVII. monuimus, contra ius tertii priuilegia non concedunt, multo minus voces quaedam priuilegiorum, tertii laesionem non expresse loquentes, ipsis in causa erunt, vt sensum illis tribuant, quem secundum iuris principia continere non possunt. Praeterea Interpretatio nunquam iura plane noua addicit, sed dubia tantum et obscura explicat determinatque. Nisi autem in omnes interpretationis regulas impingere velimus, nullum fane alicuius momenti dubium in priuilegiis Lusaticis occurrit, quod probabiliter causam subuafallorum loqueretur.

§. XX.





## §. XX.

Adhuc superest contrarium argumentum, circa Priuilegium Maximilianum emergens. Constat enim hanc concessionem Lusatos titulo oneroso comparasse, et triginta thalerorum millia Maxim. ad id adsequendum exsoluisse. Quo modo autem haec summa erogata sit, quaestio mouetur? Modo enim Prouinciae contribuendi consuetudo si collecta est, a veritate haud alienum videtur, subuassallus prorata ad eam Summam pariter ac immediatos contribuuisse. Posito autem hoc, vires nanciscitur regula: Eadem ex re onera sentientem, eorundem quoque ex ista re commodorum participem reddi, ex hac vero facillime ratio pro extendendo ad subuassallos laudato priuilegio deducitur.

*Exaequatio oneris pro assequendo priuileg. Max. subuass. fauere videtur,*

Me ipsum ad sententiam subuassallis fauentem abiturum promitto, modo sufficientem istius oneris exaequationis probationem adferant. Sane subdomini de conseruando iure in subfeudo circa alienationem successionemque ipsis competente, parum solliciti fuissent, si ad ista onera communiter cum ipsis suscipienda, ipsi subuassallis autores extitissent. Vix enim tunc admittuntur, de praeiudicio exinde in ipsos redundante conquerentes, quum tacite per eiusmodi iniunctam contributionem, haec beneficia illis communicare voluisse, et ita consensu suo, tacitam extensionem subuassallis indulgisse videantur. Salua tamen adhuc immediatorum causa persistit, nondum enim subuassalli assertorum fidem fecerunt, et valde dubitandum, eos vnquam istam probationem plene absoluturos esse.

*sed nondum probata est.*

## §. XXI.

Si non reliquis Prouinciae mediatis, ipsis tamen certissime omnia feudorum priuilegia prodesse, nonnulli, ni fallor, Musca.

*Argumentum subuassallorum Dynast.*

D

fallor, Musca.





fallor, subuafalli Dynastiae Musica existimant, in expresso immediatorum consensu salutem reponentes. His enim in Comitibus Prouincialibus ao. 1657. liquida et indubitata immediatorum declaratio obuenerit: Daß sie nicht Deterioris conditionis als andere vom Adel im Lande seyn sollten. Eum autem huius concessionis sensum esse volunt, ut intuitu feudorum praerogatiuis plena inter ipsos et immediatos paritas obtineat, et omnis de hac re lis in ipsorum fauorem sublata sit. Equidem si in ipsis verbis acquiescimus, res omni fere dubio excepta videtur! Si vero in rationem huius concessionis causamque efficientem inquirimus, euidenter statim apparet, tunc plane in feudorum materia nihil actum fuisse. Quaestio enim eo tempore mota: An subuafallorum filii, inter eos XII. nobiles adolescentes, qui ad concomitandum in itinere Serenissimum Saxoniae Electorem a Prouinciae statibus mittebantur, eligi queant? ansam huius in fauorem subuafallorum decisionis praebuit, uti hoc ex Actis Comitibus patet, et praeter paria intuitu nobilitatis iura cum immediatis per eam nihil consequuti sunt. Ad incogitata itaque illa concessio traheretur, si praerogatiuas feudales eam concernere, contendant.

### §. XXII.

*Observatio  
quoque subua-  
fallis obstat.*

Perpetuus quoque usus ac obseruantia, contra subuafallos declamans, non leue pondus, haecenus adductis argumentis suapte iam firmissimis, ad probandam nostram intentionem, superaddit. Ipso enim iure, ne minimum quidem emolumentum ex memoratis priuilegiis ad subuafallos peruenit. Saepissime quidem super hac re iam iudicialiter lis mota est. et adhuc mouetur, sed exempla plane deficiunt, exitum expectationi subuafallorum respondiisse.

Licet





Licet enim, subfeudis quibusdam, nonnulla eiusmodi beneficia annexa videamus, haec tamen ex speciali subdominorum consensu iis obuenerunt, litterisque inuestiturae expresse inserta sunt. Sic in Ober-Sohland, Dynastiae Hoyerswerdae subfeudo, successio ex priuilegio Maximiliano nouissimis temporibus indulta, obtinet, similique modo subfeudo Dynastiae Saidenbergensis Diehsa Iurisdic-tio superior inferiorque concessa est. Alia quoque eiusmodi aliis, semper tamen per expressam concessionem contigerunt. E contrario vero reliqua Prouinciae subfeuda praeter ea, quae ius commune promiscue omni feudo tribuit, nihil assequuntur.

§. XXIII.

Sufficiant haecce de priuilegiis Lufaticis vnice immediatis vindicandis. Appendicis loco huc subiungere licebit insignes illas praerogatiuas, quibus praeter laudata priuilegia Immediati Lusatiae Superiores, subuafallos insuper praecedant.

*Praerogati-  
uae immedia-  
torum prae  
subuafallis.*

Immediati antiqua nobilitate praediti, subuafallis prorsus exclusis, ad Comitua Prouincialia conuocantur, salutique Prouinciae voto suo prospiciunt. Ad munera Prouincialia non nisi immediatis praediis instructus ac indigenae nobilitatis illustris admittitur! Sollicitationes intuitu subfeudi, quas vocant Bittschriften und Steuer Erlass-Ansuchungen, mediatorum, facultate in comitiis Prouincialibus standi, his protinus denegata, subdomini Statibus Prouincialibus proponunt! Exclusionem intuitu subuafallo- rum, immediatorum ius est, solenniter Serenissimo Marchioni, si contigit, eum ad colligenda homagia has terras inuisere, in equis obuiam vehi, et deinde etiam uasallagium homagiumque eidem simul praestare! Subuafalli Iurisdictionem subinfeudantis in personalibus aequae ac realibus





agnoscere tenentur. Steuras et Contributiones Immediati ad aerarium publicum reponunt, subuafallis easdem subdominis exsoluentibus. Liberatio a nexu subfeudali, si subuafallo indulgentia subdomini contigit, ille minime in continenti iura immediatorum consequitur, sed subdominus ante omnia eius dimissionem Statibus Prouincialibus denuntiat et subuafalli admissionem petit. Rescriptum deinde Electorale interuenit eiusque receptionem inter immediatos indulget! In inuestitura immediati non nisi immediati testes admittuntur. Sed nimis longinquum esset, ad vnguem omnes immediatorum praerogatiuas hic enumerare. Exposita iam largiter commonstrant, maximam conditionum disparitatem inter immediatos et subuafallos Lusatiae intercedere, et longe deteriori iure subuafallos, ac immediatos in hac Prouincia censer.

